

conformem, aut difformem legi, sed permissum, ideoque vocatur actus ille indifferens ex objecto sic affecto.

XLIV. Cum autem dicitur, quod si regula relinquit, seu omittit talem actum et objectum; ergo non pertinet ad genus, et lineam talis regulationis, et moralitatis, quia nihil pertinet ad ipsam si relinquitur ab ipsa, respondetur quod non relinquitur absolute, sed quoad prohibitionem, et præceptionem, conformitatem, vel difformitatem, non quoad permissionem, et sic tali permissione aliquid operatur lex circa talem actum, scilicet, ut saltem ex objecto immediato ille actus, nec bonitatem hauriat, nec malitiam formaliter, et immediate, sed solum capacitatem, ut mediate illam habeat ex fine, et circumstantiis. Quare non totaliter omittitur, et relinquitur a lege ille actus, ita ut negative omnino se habeat lex erga illum, sicuti circa pure naturalem entitatem, quæ indifferens est remote et ad omnem moralitatem tam ex objecto, quam ex fine, et circumstantiis, sed solum permittitur, ut possit fieri bene, vel male ex adjuncto fine, aut circumstantiis. Ad objectum autem sic permissum datur respectus, et ordo ex parte actus, et per illum formaliter constituitur indifferens indifferencia morali, objective autem ex objecto a lege permissio. Et hæc indifferencia est moralis, et non pure entitativa, quia est indifferencia orta ex permissione legis, quæ tollit, nec ex objecto immediato possit esse actus bonus, vel malus, ponit vero capacitatem, ut mediate reddatur talis ex fine, vel circumstantiis.

XLV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod habitus potest considerari dupliciter. Uno modo inadæquate, et sub præciso respectu ad objectum actus: alio modo adæquate, et per ordinem ad ip-

sos actus a quibus genitus est, et eo modo quo genitus est ab ipsis. Primo modo non repugnat dari habitum indifferens sub illa præcisione loquendo, ut habitus loquendi, ambulandi, eundi ad campum, tollendi festucas, si præcise sic considerentur, ex hac enim parte nec bonum dicunt, nec malum. Secundo modo non possunt dari habitus indifferens etiam in specie sua adæquate considerata, et prout ex actibus est genitus, et ad similes actus inclinatur, eo quod tales actus prout in re fiunt, semper cum aliqua bonitate, vel malitia fiunt in sententia D. Thomæ, qui non admittit actus indifferens in individuo. Habitus autem cum generentur ex frequentatione actuum, procedunt ex actibus prout in re fiunt. Unde cum in re fiant cum aliqua bonitate, vel malitia, et illa bonitas, quæ ex fine, vel circumstantiis advenit, transeat in speciem, quia destruit indifferenciam illam, et induit conditionem objecti, inde fit, quod habitus sic genitus ex consuetudine actuum individualium non generetur in statu indifferencie, sed in statu determinatæ speciei sumptæ ex adjuncto fine, vel circumstantiis. Unde in re, de facto nullus datur habitus moralis indifferens, quia in re omnes habitus habent suam speciem, et operationem juxta modum, quo geniti sunt a suis actibus, non juxta præcisiones nostras inadæquatas. Unde nullus habitus est, qui in re non sit virtus vel vitium, licet sub aliqua præcisione, aut formalitate possit in statu indifferencie considerari, et ideo habitus adæquate dividitur in virtutem, et vitium, si consideretur prout in re, et adæquate, et secundum respectum ad actus, a quibus genitus est.

XLVI. Tertio arguitur: Si datur actus ex specie sua indifferens maxi-

me, quia attingit objectum, a quo nec malitiam habet, nec bonitatem; sed hoc objectum necessario debet esse bonum, cum sit objectum voluntatis, et voluntas versatur circa bonum, sicut intellectus circa verum. Ergo etiam oportet, quod tale objectum constituatur in aliqua specie, et divisione boni. Vel ergo est bonum honestum, vel utile, vel delectabile. Si est honestum, hoc ipso est bonum morale: si delectabile, et non honestum, hoc ipso est malum: si utile, aut sistit in ipso utili tamquam in fine, et sic est perversum, et malum, quia perveritas est frui utendis. Si autem refert illud utile in aliquem finem, hoc ipso habet bonitatem, aut malitiam, quia ordo ad finem bonum est bonus, et ordo ad finem malum est malus. Ergo in nullo genere boni verificatur, quod sit indifferens, nec bonum indifferens pertinere potest ad aliquod ex tribus prædictis membris. Ergo non datur bonum indifferens, et consequenter neque objectum, quia respectu actus voluntatis bonum, et objectum, idem sunt.

XLVII. Confirmatur, quia si datur aliqua species moralis vera, et propria, quæ dicitur indifferencia, etiam debet dari aliquod individuum talis speciei; sed nos negamus actum indifferens in individuo, ergo debemus negare in specie. Minor ex articulo sequenti constabit, et affirmatur a D. Thoma in hac quæstione xviii, articulo ix. Major de se patet, quia species sine ullo individuo est inintelligibilis, licet enim in uno tantum individuo species conversari valeat, tamen sine ullo individuo non potest intelligi. Si ergo datur vera, et propria species moralis, quæ sit indifferencia, etiam et individuum illius dari debet in eodem genere morali. Quod præsertim urget in opinione quam defendimus, quod

non manet indifferencia moralis in individuo etiam ut conjuncta cum bonitate, aut malitia ex circumstantiis, sed quod tota illa indifferencia destruitur, transeunte fine in conditionem objecti. Sic enim non salvatur aliquod individuum illius speciei, sed pure remanet illa indifferencia in linea entitatis, et naturæ actus, non in linea morali.

XLVIII. Respondetur actum indifferens respicere ex parte objecti bonum appetibile, quia hoc sine dubio est objectum voluntatis. Cum autem quæritur, quodnam bonum sit honestum, an delectabile, an utile, respondetur non esse bonum honestum actu, sed potentia, quia potest honestari ex fine, vel circumstantiis adjunctis: esse autem actu delectabile, vel utile, quia potest alicui fini deservire, et in se etiam aliquid delectationis admittere, sicut loqui, aut ire in campum de se delectabile est, et potest etiam utile esse ad aliquem finem.

XLIX. Et cum instatur, quia delectabile, et non honestum est malum, distingo; si sit non honestum privative, seu contrarie transeat; si sit pure negative non honestum, capax autem, et in potentia, ut honestari possit ex fine adjuncto, nego: tale enim delectabile non est malum determinate, et in actu, sed est permissum, et indifferens, potestque reddi bonum, vel malum ex adjunctis. Et ita omne delectabile si in re non sit honestum, in re erit malum, quia in re dari non potest sine fine, et circumstantiis, quibus positus non stat malum non esse, si honestum non est, quia redditur circumstantiis malum. Non tamen erit malum ex præcisa attingentia objecti, ex qua etiam non est honestum, sed ex illa neque unum, neque aliud est, sed delectabile indifferens cum capacitatem, et potentia ut reddi possit honestum,

aut malum ex fine, et circumstantiis. Similiter potest illud bonum indifferens dici utile, non quia in illo sistatur ut in fine, hoc enim perversum est; sed quia de se potest esse ad alterum finem; sed tamen quia non solum ad unum finem determinatum servire potest, sed indifferenter ad bonum, vel ad malum, ideo dicitur utile indifferens, et permissum non utile determinate bonum, vel malum; sed id habet mediate, et in potentia, quatenus ex adjuncto fine, et circumstantiis bonum reddi potest, et hujus capax est.

L. Ad confirmationem constabit ex sequenti articulo. Dicimus enim, quod species semper reperitur in aliquo individuo, sed non status ipse speciei, qui est status præcisionis, iste enim ad individua non descendit. Indifferentia autem est species moralis sub quadam præcisione, et statu, quo attingit objectum sine circumstantiis, et sub hac præcisione consideratum non potest descendere ad individua, quia in individuo inveniuntur circumstantiæ, sine quibus individuatio non datur. Quare actus indifferens non est species aliqua completa, et perfecta cui sit debita positive indifferencia, ut dicit D. Thomas art. ix, solutione ad primum, id est, conservatio indifferentiæ, sed potius est status indifferentiæ, cui est debita species boni, vel mali, quo tollitur indifferencia, non immediate ex objecto, sed mediate ex fine, et circumstantiis. De quo amplius articulo sequenti.

ARTICULUS VII.

Utrum possit dari actus moralis indifferens in individuo?

I. In præsentibus distinguunt aliqui de indifferencia, quæ sit medium

inter bonum et malum, quæ sit medium inter meritorium et demeritorium. Et docent posse dari aliquem actum, qui non sit meritorius saltem vitæ æternæ, nec tamen sit demeritorius saltem damnationis. Quod quidem verissimum est in operibus bonis, quæ fiunt ab infideli, vel existenti in peccato mortali, talibus enim actibus non debetur damnatio, nec tamen sunt meritoria vitæ æternæ. Cæterum loquendo de merito, vel demerito non solum vitæ æternæ, sed generaliter cujuscumque præmii, vel pœnæ, sive temporalis, sive æternæ, idem est dari actum indifferentem, seu medium inter bonum et malum, atque inter meritum et demeritum: quia omne opus bonum morale est meritorium alicujus præmii, et omne opus malum alicujus pœnæ, ut docet S. Thomas in hac quæstione XXI. Quare de indifferencia ad bonum et malum procedit quæstio, et de illa inquirimus, an reperiatur de facto, et in re talis indifferencia moralis.

II. Et potest in triplici sensu hoc controversari. Primo, an possit indifferencia ista reperiri sine ullis circumstantiis neque bonis, neque malis, neque indifferentiis. Et in hoc sensu nullus admittit dari actum indifferentem in individuo, quia nihil individuari potest sine accidentibus, vel ordine ad illa. Accidentia autem moralia, circumstantiæ sunt. Secundo, an possit dari actus indifferens moraliter, retenta ipsa indifferencia, et conservata, adjunctis tamen circumstantiis bonis, vel malis, quæ indifferenciam ipsam non extinguant, sed relinquunt. Et tertio, an possit dari actus indifferens tam ex parte speciei, seu objecti, quam ex parte finis, et circumstantiarum, ita quod etiam ipse finis indifferens sit; an vero teneatur aliquis semper apponere bonum finem

actui, quem facit, et si illum ponit erit actus bonus, si vero non ponit erit malus, saltem ex omissione illius præcepti ponendi bonum finem. Et in hoc sensu præcipue controversatur ista difficultas.

SENTENTIÆ.

III. Generaliter loquendo duæ principales sententiæ in hac parte numerantur, et una attribuitur Scoti, altera D. Thomæ, sed de mente Scoti statim dicam, quia non facile explicari solet etiam a suis. Una ergo sententia affirmat dari actus indifferentes in individuo; alia negat.

IV. Sententia affirmativa, quæ docet dari actus indifferentes in individuo, dupliciter exponitur. Nam quidam affirmant dari actum indifferentem absolute, et per se loquendo, et ex propriis, et intrinsicis ipsius actus: alii per accidens, et pro aliquo casu, qui sentiunt per accidens, et pro aliquo casu posse dari actus indifferentes, varie id explicant. Primo Almainus tract. i moral. cap. xiv, dubio ii, explicat actum indifferentem, non in sensu in quo nos loquimur de actu indifferenti ex objecto, hoc est, quando ex objecto nec est bonus, nec malus, sed in alio sensu, videlicet quando est bonus ex objecto, sed non referatur actu præterito, vel præsentem in Deum, ut jejulare, quod de se bonum, et temperatum est, tamen si in Deum non referatur non est absolute bonus, defectu relationis in Deum.

V. Hanc sententiam Almaini in substantia videtur tenuisse D. Bonaventuras in secundo, dist. xli, art. i, quæst. iii, et alii, licet in modo differant. Nam D. Bonaventuras etiam accipit actum indifferentem pro eo, qui non ordinatur in Deum, in quo convenit cum sententia Almaini, sed tamen differt in eo quo

loquitur de actibus non habentibus objectum bonum, sed indifferens; docet tamen quod quando aliquis ita gravatur propria imbecillitate ut difficile sit tales actus referre in Deum, tunc indulgetur imbecillitati naturæ, et non imputatur ei in peccatum si non referat illos actus in Deum, sicque non redduntur mali, sed manent indifferentes. Et alii addunt, quod in rebus minutissimis, ut levare festucam, movere manum vel pedem, non datur præceptum referendi illa in Deum propter suam modicitatem, et ita tales actus admittunt posse manere indifferentes. Quæ omnes sententiæ in eo videntur conspirare, quod admittunt indifferenciam actuum pro aliquo casu, scilicet quando non referuntur aliqui actus in Deum, licet alias ex objecto sunt indifferentes aut boni, aut quia non datur præceptum de referendo, aut quia Deus indulget imbecillitati naturæ ne referat, aut quia etiam si non referat in Deum, actus non manet malus, quia ex objecto est bonus. Et videntur in hoc impigisse isti auctores, eo quod putaverint requiri ad bonitatem actus relationem explicitam, aut actualem in Deum, cum tamen implicita sufficiat, et virtualis; ut supra disputatione prima a nobis declaratum est.

VI. Secundo alii existimant posse dari actus indifferentes per accidens, et in aliquo casu, videlicet in casu ignorantie, quando aliquis non scit se teneri apponere bonam circumstantiam, seu finem ipsi actui, aut cum quis vel uti sententia Scoti tamquam probabili, illamque exercere in praxi non apponendo finem bonum actui, sed indifferentem. Ita pater Vazquez hic disp. lxi, cap. iii, et Lorea hic disp. xxvi, dubio i. Sed quia isti actus solum sunt indifferentes ex suppositione illius conscientie probabilis, quam format ille